

12

10

16

06

21

01

Omnis egregiam simul ingrediemur in urbem,
Hospitium nobis illa dabitq; suum.
Cunctorum pariter placuit sententia mendi,
Nemoq; diuersum qui loqueretur erat.
Interea rumor uelocibus aduolat alis,
Aduentum tota nunciat urbe Ducis.
Sextaq; lux aderat Septembri splendida Sole,
Quæ Magno celebris martyre nomen habet.
Virginis in dextra surgit uindemitor ala,
Pressandis uuis tempus & esse monet.
Densa ruit paßim per compita secta caterua,
Pars quoq; per portas exit ab urbe procul.
Exit, ut aspiciat uenientis Principis ora,
Quem cupidis animis cernere quisq; cupit.
Interea quartam signabat Delius horam,
Pronus ad occiduas & properabat aquas.
Turba ruit properatq; frequens, huc currit & illuc,
Figit in aduentum lumina quisq; sua.
Principis ingressus in urbem.
En in equis longum phaleratis aduenit agmen,
Et terni placidis ingrediuntur equis.
In medio solus Dux illustrissimus ibat,
Quem placidus cultu simplex uexit equus.
Nam quia uenatum se contulit inclytus heros,
Huic puto non curæ splendida uestis erat.
Mens tamen est illi longè præstantior auro,
Vesteq; uirtutum splendidiore nitet.
Ante eunt bini concordia pectora fratres,
Quos faciem signat læta iuuenta suam.
Hi duo Badensis sunt inclyta lumen stirpis,
Carole progenies diue relista tua.

Dicitur

Ende

Anfang